



DE CRAMBAMBULO

Indulgentiâ homines afficiuntur variarum rerum et animantium. At amorem, sincerum, aeternum – hunc, si umquam, semel tantum experiuntur. Ita saltem sentit dominus *Hoppius* saltuarius. Qui tot canes iam habuit et magni aestimavit, sed tantummodo unum amavit, vere amavit neque umquam oblîtus est – Crambambulum. Quem emerat vel potius permutaverat *Visoviae*, in caupona a leone appellata, cum adiutore saltuario, qui opere vacaverat. Primo iam aspectu canem amare coeperat neque postea amare desiit usque ad extremum spiritum. Dominus bestiae pulchrae, qui sedit ad mensam ante hyalum vini adusti vacuefactum, cauponi maledicens alterum hyalum gratis dare nolenti, aspectum praebuit furciferi. Parvus vir, quamvis iuvenis, tamen luridus tamquam arbor mortua, flavo capillo, barbâ flavâ et tenui. E veste eius venatoria, quam relictam esse magnifico munere transacto verisimile erat, apparuit eum in fossa viaria pernoctasse. *Hoppius*, quamvis haud libenter pravis se adiungeret, iuveni assedit statimque coepit cum eo colloqui. Mox inquirendo repperit nebulonem cauponi oppignerasse sclopetum thecamque venatoriam et nunc canem pignori daturum esse; cauponem autem, sordidum istum carnificem, recusare pignus, quod esset cibandum.

Primum dominus *Hoppius* nullo verbo pandit canem sibi perplacere, sed curavit apportandam lagoenam boni *Gedanensis* spiritûs cerasini, quem tum caupo leoninus vendebat, eundemque sedule hyalo istius infudit. – Hem, post unam horam omnia quadraverunt. Venator dedit duodecim lagoenas eiusdem potulenti, in quo sumendo commercium erat pactum – vagabundus dedit canem. In honorem eius confitendum erat: haud libenter dedit! Manûs eius tam vehementer tremuerunt, cum bestiae collare apponeret, ut videretur hanc rem numquam perfecturus esse. *Hoppius* patienter exspectans tacite admiratus est canem mirabilem quamvis male curatum. Qui videbatur ad summum duos annos habere; colore similis fuit furcifero, a quo traditus erat, sed paulo obscurior. In fronte insigne quoddam: virgula alba, dextrorsum et sinistrorsum exiens in lineolas quasi aciculas ramuli abietini. Oculi autem magni, nigri, lucidi, anellis roridis et flavis circumdati, aures altiores, longae, vitii expertes.

Expers autem omnis vitii totus canis erat, ab ungue usque ad nasum sagacissimum; statura robusta et flexilis, pedes omni laude superiores: Quattuor columnae vivae quibus corpus cervi sustentari posset, sed vix crassiores erant quam crura léporis.

Per Sanctum Hubertum! Certe huic animali stemma erat tam vetus purumque quam equitis Ordinis Teutonici.

Saltuarius in sinu gavisus est de magnifico commercio facto. Tum surrexit, funem comprehendit, quem nodare vagabundo tandem successerat, interrogavit: „Quisnam vocatur?“ – „Vocatur talis, qualis potus, quo eum accepisti: Crambambulus“, respondit. „Bene, bene, Crambambule! Ergo veni! Ibisne? Porro!“ – Heus vocabat, sibilabat, trahebat – tamen canis non obtemperavit, caput vertit ad eum, quem adhuc dominum suum esse putavit. Cum is calce percutiens „Agedum!“ clamasset, canis ululavit, sed iterum iterumque eidem se applicabat. Domino *Hoppio* non nisi acerrime luctato contigit, ut possideret canem. Idem denique rostro constricto vinctus, in saccum ingestus, subbaiulatus gerendus erat in domum venatoriam, quae distabat itinere complurium horarum.



Transacti sunt duo menses integri, dum Crambambulus vapulando semivivus, post omnem conatum fugiendi collari aculeato catenae applicatus, tandem comprehenderet, cuius nunc esset.

Tum autem prorsus subiectus qualis canis factus est! Nullâ linguâ potest referri, nullo verbo aestimari, quantam perfectionem assecutus sit non solum in munere suo exercendo, sed etiam in vita cottidiana ut minister sedulus, sodalis bonus, fidelis amicus et custos. „Hic loqui tantum nescit!“ dicitur de aliis canibus intelligentibus – at Crambambulus scivit loqui: dominus quidem longa colloquia cum eo habebat. Uxor autem saltuarii vehementer coepit aemulari *Bulo*, qualem contemptim appellabat. Interdum vituperabat maritum. Per totum diem, omni hora, qua non supellectiles ordinaverat aut laverat aut coxerat, tacite acu texuerat. Vespere, post cenam, denuo textura cupiebat cum marito confabulari.

„Scin' nemini nisi *Bulo* narrare, *Hoppi*, mihi numquam? Si semper loqueris cum bestia, dedisces loqui cum hominibus!“

Saltuarius sibi confessus est hoc non prorsus absurdum esse, sed nescivit huic rei mederi. De qua re potuit loqui cum uxore sua? Liberi iis numquam fuerant, vaccam alere non licebat; volatilia autem cicura venatorem, si vivunt, omnino non tenent, si sunt assata, non ita. De culturis autem et fabellis venatoriis uxor audire nolebat.

Denique *Hoppius* viam invenit ex his angustiis exeundi: Non cum *Crambambulo*, sed de *Crambambulo* locutus est, de triumphis, quos huius causa ubique celebrabat, de invidia, quae efficiebatur eiusdem possessione, de pecuniae summis pro cane oblati, quas, quamvis essent tantae, ut risus sibi moveretur, contemptim repudiaret. Duobus annis sic transactis aliquo die comitissa, uxor domini, in domo saltuarii apparuit. Statim *Hoppius* scivit, de qua re ageretur, et cum domina bona bellaque dicere coepisset: „Cras, care *Hoppi*, dies natalis comitis celebrabitur...“ ipse perrexit: „itaque comitissae generosissimae donum daturae persuasum est se nulla re maiorem laudem sibi parituram esse quam *Crambambulo*.“

„Ita, ita, care *Hoppi*.“ De hac obviâ comitate comitissa gaudenter erubescens statim dixit se gratam esse rogavitque, ut saltuarius pretium indicaret, quod pro cane pendendum esset. Saltuarius, ut erat veterator, cum furtim cachinnans admodum submisce se gessisset, subito libere elocutus est: „Comitissa generosissima! Si canis in castello manserit, nisi omnem funem morsu dividerit, nisi omnem catenam divulserit aut, si divellere non potuerit, id facere conatus suffocatus erit, tum comitissa generosissima gratis eum retineat – tum mihi nihil erit.“

Probata est res, sed canis non est suffocatus; nam comes prius desitus est delectari bestiâ obstinatâ. Frustra eandem aut caritate conciliare aut severitate domare studuerant. Omnes sibi appropinquantes momorderat, cibum recusaverat, ut corpus eius – praesertim cum canis venatorius sic quoque gracilis esse soleat – prorsus tabesceret. Nonnullis septimanis post *Hoppio* nuntiatum est fieri licere, ut canem suum malignum secum auferret. Cum propere hîc permissu usus canem caveae inditum accessisset, immenso cum iubilo salutatus est. *Crambambulus* quasi mente captus vehementissime ululavit, in dominum prosiluit, ungues anteriores eius pectori annexus delinxit lacrimas, quas vetulus saltuarius gaudio affectus super genas profudit.